

**SYNODICA**  
BENEDICTI HERBE-  
STI NEAPOLITANI, CA-  
NONICI ECCLESIASTAE  
E. C. POSNANIENSIS,  
ORATIO.

Habita est in Synodo Dioecesana,  
per Reuerendissimum in Christo Pa-  
xrem, D. ADAMUM KONARSKI, Epis-  
copum posnaniensem, conuocata: ad VII.  
Calendas Nouemb. Anno Domini

1554.

Illumina oculos meos: ne vnquam  
obdormiam in morte.  
Psal. 12.

NISSAE SILESIORVM,  
Excudebat Ioannes Cruciger

STANISLAVS VVARS-  
SCHEVVICKI, CANCELLARIUS  
Ecclesiæ Posuaniensis &c. Fratribus  
in Christo charissimis S. D.

**N**On est abbreviata manus Domini;  
vt saluare non possit. Quæ enim ad  
vniuersorum salutem pertinehant; Spi-  
ritu sancto duce & authore, præclarè  
sunt absoluta & perfecta. quo nomine,  
Deo gratias agimus sempiternas. Reli-  
quum est; vt nos quoq; salui esse, & res-  
medijs vti, velimus. Nam verissimè di-  
xit Basilius ille Magnus: Μόνον θελησού,  
καὶ οὐδές προανθάπτε. Valete,

Vnica Nata Dei, nostræ spes summa salutis,  
Audi scrorum genitiusq; precesq; tuorum.  
Spensa petit, sancto quam sœdere iungis & ornas,  
Spense, tibi illius tandem miserare dolores.  
Nam uarijs morbis, duplici quoq; peste laborat:  
Ultima, ni præsens uenias, (ah) funera cernet.



2272547

# SYNODICA B. HERBESTI NEA- POLITANI

ORATIO,  
in hæc Euangeliū verbas

Domine descendē prius, quām mo-  
riatur filius meus.

**A**RVMnis pressus, et in angustias EXORDIUM  
coniectus Rex David, ad Dei præsidio-  
um configere solet; Reuerendissime  
Prælul, Patres reuerendi, vósq; cæteri  
venerabiles Sacerdotes: ad Dominum  
iuquam Deum Rex David, idemq; Pro-  
pheta, in periculis cónfugit. Nam eius EXORDIJ pro-  
hæc verba sunt, varijs modis in Psalte= positiō, ex  
rio repetita: Ad Dominum, quum tris  
bularer, clamaui. Recte sanc̄e David,  
nullum sibi certius auxilium ferri posse  
A ij creoidit;

SYNODICA

I. Ratio. credidit et quām quod ab ipso Deo pro-  
ficiuntur. quem ut maiore fiducia nos  
itidem inuocemus, nostrāsq; necessitates  
ei firmiore spe commendemus: ecce vero  
bis, Fratres charissimi, qua nos ad se ins-  
uitat, certissimam ipsius Dei promissio-

xii. Ratio. nem: Inuoca me in die tribulationis: et  
Psal. 89. cruang te: et honorificabis me. Ac solet

quidem illud, in rebus humanis, diligenter obsecuari: ut, quanto gravioribus  
afficiamur incommode, tanto firmiora  
nobis auxilia comparemus. itaq; quum  
nihil fortius Deo, non modo esse: sed  
ne fangi quidem cogitariue possit: is va-  
nus Sanctis omnibus, qui aliquas accipi-  
ebant calamitates, tutissimum semper  
fuit propugnaculum. Ad Dauidem Re-  
gem quod attinet: nullus nostrū de  
ipso dubitat: quin is singulari Diuina  
defensione, ex manibus suorum inimi-  
corum, semper fuerit erectus: siue Sau-  
tem

## ORATIO.

lem Regem, capitem eius hostem; siue  
impiam et sceleratam Philistæorum gê-  
tem; siue perfidâ improbi Absalom i cō-  
iuratione, spectes. Quis non crederet,  
actum fuisse cum Davide; postquam à  
Ziphæis proditus, in modum coronæ  
cinctus fuit, ab exercitu Regis Saulis, in  
monte deserti Maon; certè et David  
ipse ( ut scriptura testatur ) desperabat;  
se posse euadere à facie Saul: nisiq; Do-  
minus ei, sibi constanter fidenti, tunc  
succurrisset; viuus et captus David, in  
manus Saulis inimici, profecto venisset.  
Agnouerat namq; et Saul, agnouerat et  
confessus fuit; Deum pro Davide pug-  
nare: posteaquam profligatis Philistæ-  
is, cum tribus millibus electorum militū  
Davidem iterum persequeretur; et apud  
oram chlamydis abscissam, vita se dō-  
natum esse videret. Quòd si crudelis et  
iniquus Saul fatetur; à Domino se tra-  
ditus

## SYNODICA

dñum fuisse in manus Daudis: quid pos-  
 tamus Daudem ipsum esse dictorum:  
 cuius omnes sui liberations acceptas re-  
 laturum: Dominus, inquit, salus mea  
 est: quem timebo: Dominus protector  
 vitæ meæ: à quo trepidabo: Si consi-  
 stant aduersum me castra: non timebit  
 cor meum: si exurgat aduersum me præ-  
 lium: in hoc ego sperabo. Fortis erat  
 Saul hostis contra Daudem, sexcentos  
 tantum viros secum habentem: nō mi-  
 nor tamen Philistæorum, cum quibus  
 multa gessit et varia bella, fortitudo fu-  
 it: quibus ille omnibus devictis, hoc ad  
 extremum Deo cecinisse legitur Epini-  
 sion: Diligam te, Domine, fortitudo  
 mea: Dominus firmamentum meum, et  
 refugium meum, et liberator meus: De-  
 us meus adiutor meus; et sperabo in eū:  
 Protector meus, et cornu salutis meæ, et  
 susceptor meus: qui me creptum de ini-  
 micis

Psal. 26.

II. Exem-  
plum.

Psal. 17.

## ORATIO

misericordis meis fortissimis, in latitudinem e-  
 duxit. Sed facilius manifestos evitamus  
 et vincimus hostes; à domesticis cauere,  
 et domesticorum coniurationem effu-  
 gere, difficilima res est. Quam grauis  
 et valida coniuratio facta fuit, contra  
 Dauidem patrem à filio ipsius Absalom  
 Regum testatur Historia verissi-  
 ma. Coactus enim erat, subitis perter-  
 ritus malis, regiam suam Ierusalem re-  
 linquere: non multis sane armatis, iisque  
 imparatis, comitatus, quum Absalom  
 fortissimum haberet exercitum, in cam-  
 pestribus deserti vagabatur; res tunc  
 Dauidis Regis (nam toto corde uniu-  
 ersus Israël sequebatur Absalom) per-  
 ditæ prorsus, hominum iudicio, fuisse  
 videbantur. Nouerat quidem Dauid;  
 propter peccata sua grauia, illa sibi pro-  
 creata fuisse pericula: non tamen etiam  
 tunc, quum iustissime cuncta pateretur,

III. Exem.

2. Re. 15. Et c.

A iiiij de

## SYNODICĀ

de præsidio Dei volebat desperare. Es  
tenim ad Sadochum Sacerdotem, qui  
euna arca Dei cupiebat ipsum comitariz  
Si, inquit, inuenero gratiam in oculis  
Domini: reducet me et ostendet mihi  
eam, et tabernaculum suum. si autem  
dixerit mihi: Non places: præstō sum:  
faciat, quod bonum est coram se. Vi-  
detis, Fratres charissimi: Dauidem  
Domino Deo se totum committere, in  
ciusque vnius patrocinio spes suas po-  
nere: ad quem etiam, quum nudis pedis  
bus et operto capite incederet, Ahitos  
phelisque sapientis prudentiam et con-  
silia timeret, talia flens verba profudit:  
Infatua, quæso, Domine, consilium  
Ahitophel. Tantum fidebat Deo Pro-  
pheta Dauid: sic ille Rex Israëlis, quum  
tribularetur, ad Dominum clamauit:  
Opemq; illius, misere et grauiter vexas  
eū, patienter expectauit. Multiplicati  
sunt,

ORATIO.

sunt, (sic aliâs, in eadem causa, alloquîz  
tur Dominum) qui tribulant me; multi  
insurgunt aduersus me: multi dicunt  
animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo  
eius. Quid autem hîc ego, mi Domine,  
dicam et quid faciam: ad quem confus= Complexio  
giam: cuius propugnationem et auxili= psal. 32.  
um expetam: Tu, Domine, tu sulcea= ptor meus es: tu es gloria mea: tu exala=  
tas caput meum. Audite ergo, populiz  
audite, Sancti: quid ego David feces= rim, et quid mihi dederit Deus: ponde=  
rate. Nam ego voce mea ad Dominum  
clamaui: ipse verô Dominus exaudiuit  
me de monte sancto suo. Quamobrem  
non saluatur Rex per multam virtus= tem: et gigas non saluabitur in abun=  
dantia virtutis suæ: fallax est equus ad  
salutem: in abundantia autem virtutis  
suæ non saluabitur. quemadmodum  
idem ipse Rex et Propheta, cùm expes=

A v rientia

SYNODICA

rientia doctus , tūm Spiritus sancti luce  
collistratus, canit. Dominus est: ( crea-  
dite, Fratres, Davidi ) qui eruit à morte  
animas suorum, super Misericordia sua  
sperantium ; hunc vnum adiutorem atq;  
protectorem anima nostra sustinere, ad  
eumq; afflita semper configere, debet:  
ad Dominum Deum , quum tribulatur,  
quicunq; clamatz eum nunquam non ex-  
audit Deus. Cur itaq;, in ærumnis suis,  
non clamabit ad Dominum nostra ma-  
ter Ecclesia & cur opem Dei non implo-  
rabit & cur spem maximam in Deo non  
habebit? Quòd si quando clamandum  
ei ad Dominum fuit : si quando suos  
ipsa filios Deo commendare debuit: hos  
die profectō debet h̄sdem verbis De-  
um affari & quibus ille Regulus , quem  
superior dies Dominicus ad imitandum  
nobis proposuit , Dominum Iesum pro-  
scopus ora- filio suo compellavit: Domine, descende  
tis nunc prius,

Ergo Ec-  
clesia, quum  
tribulatur,  
clamet ad  
Dominum.

ORATIO.

prius, quam moriatur filius meus.

X L V I I iam annus voluitur, Fratres charissimi: ex quo tempore ingratis ita moriuntur filii Ecclesiae, non sine magno cordis eius gemitu: ut nullum finem moriendi atque pereundi facere posse videantur. Non enim substituit in illis nouis dogmatibus Satanás, quae primum à Martino Lutero, nostri seculi Hereticorum patre, excogitata sunt: natus est hinc Zwinglius et Calvinus, vterque ab illo discors: suscitatus et resuixit quodammodo, circim hanc nostram maximè Posnaniam, Ioannes Hus. damnatus: hinc manarunt dissentientes ab omnibus Anabaptistæ, et imp̄issime ad extremum (ne plures sectas commorem) sanctissimam Trinitatem blasphemantes. Non renocatæ modò sunt ab Inserviis, quas olim Catholica damnaverat Ecclesia, Hæreses: sed nouæ etiam multæ,

NARRATIO.

Hæreses nostri seculi.

## S Y N O D I C A

multæ, per quas omnia ferè dogmata et  
decreta Ecclesiæ turbantur, sunt repres-  
tæ, qua quidem filiorum Ecclesiæ mors-  
te, quæ propter istas sectas illis immis-  
set, nulla crudelior immaniorque execu-  
gitari potest. Huc accedit, quod ma-  
  
*Impietas no-*  
*pri seculi.* lignitas nostri seculi, et parua rerum coes-  
lestium cura, in Catholicis etiam homi-  
nibus, tanta est; quanta nō fuit vñquam  
fortasse sub hoc, quem his oculis spectas-  
mus, clarissimo Sole: quam insuper so-  
la Saluans atq; Iustificans istorum Fi-  
des, et dissoluta omni ex parte in Eccles-  
sij disciplina, multo laxiorem fecit. Du-  
plex ergo genus mortis, in animis no-  
stri seculi hominum deprehendimus;  
Hæresim, et Peccatum: propter vtrung-  
deprecandum, illis Reguli verbis ad  
Christum recte vtitur Ecclesia: Domine,  
descende prius, quām moriatur filius  
meus, quod etiam nos vt cum ea facere,  
ciusq;

Mors II.

## ORATIO.

eiūsq; clamoris causas expendere, possim⁹  
mus: Spiritus sancti gratiam, nostris  
genibus flexis, animisqué ad Dominum  
Deum erectis, humiliter canentes postu-  
lemus.

## Veni Sancte Spiritus &c.

Duplicem mortem esse dixi, Fratres  
charissimi; alteram ex Hæresi, alte-  
ram ex Peccatis, hominibus impendens  
tem: utraq; à nobis vt repellatur: cum  
Ecclesia Dominum IESUM rogemus:  
Domine, descende prius, quām mori-  
atur filius meus. Mortem hīc non inius-  
tiā auersamur, Fratres, propterea quod  
omnium incommodorum longē maxi-  
mum est Mors: quam non solum ho-  
mines: sed minimus etiam vermiculus,  
natura duce, fugit. Quod si propter  
hanc vitam breuem conservandam, ho-  
mines nihil non pati et perficere parati  
sunt:

DIVISIO.

Mors quam  
sit grauis.

## SYNODICA

sunt: quid non est eis faciendum: ne pers  
 petuis angantur Inferorum cruciatibus,  
 „ in morte illa æterna: Nam mors cora  
 „ poris, in hominibus sanctis, Vita potius  
 „ quam Mors est: quam longè melior,  
 longèq; excellentior, vita comitatur:  
 atq; i miser Hæreticus, Peccator quæ im-  
 pœnitens Catholicus, finem vitæ sive  
 habet principium horrendarum in Ges-  
 henna pœnorum. Felices illos sané Chri-  
 stianos, terquæ felices ac beatos: qui  
 mortis illius sempiternæ horrorem,  
 dum tempus est, expendunt: infelices  
 contra nimiumquæ miseri sunt isti: qui  
 nihil minus, quam illam mortem decli-  
 nare, donec hic viuant, student. Hæc  
 enim est illa Mors: quæ ardenti igne et  
 sulphure plena, Secunda mors dicitur:  
 Esa. ultim. in qua vermis damnatorum non mori-  
 Marci 9. tur: et ignis eorum, tenebrosus tamen,  
 Mat. 22. nunquam extinguitur. Quid ergo,  
 Christus

Apoc. 21.

Esa. ultim.

Marci 9.

Mat. 22.

## ORATIO.

Christiane & putabisne adhuc: non cum  
 summis animi doloribus, à matre Ecclesie,  
 pro filiis illud dicit Domine, descendens  
 de prius, quām moriatur filius meus: Tolle ex visceribus Ecclesiæ charitas  
 tem: tolles et animi dolores: manente  
 charitate, gemitus quoq[ue] cordis cum ipsa  
 manent. Deplorat igitur mortem Hæ-  
 reticorum: deplorat et plorantium Ca-  
 tholicorum: pro vtrisq[ue] Dominum, ve-  
 sit filios suos à morte seruare, precatur  
 sedulō. Primum enim timet Hæreticis: <sup>1. genus mor</sup>  
 ne isti, qui nostro seculo ab Ecclesia se t[em]p[or]is longè est  
 præciderunt, in maiorem, quām omnes <sup>grauissimum</sup>  
 alij Hæretici, mortem mittantur, quod  
 ex illa Christi sententia, qua Iudeos ho- <sup>1. causa.</sup>  
 micidas condemnat, non obscurè potest  
 colligi. Nam si omnis sanguis iustus, à <sup>Mat. 23.</sup>  
 sanguine Abelis initio facto, in Iudeos  
 homicidas redundat: cur non etiam om-  
 nes pœnæ, quas superiorū ætatū Hære-  
 tici

## SYNODICA

tici persoluunt, in istos nostri seculi Ecclesiarum turbatores deuoluentur; Vident, legunt; ab omni Ecclesia Catholica, ab Oecumenicis Concilij, à Summis deniq; Pontificibus, Hæreses omni tempore anathematizari: sciunt, vident; damnatos olim esse Cerinthos, Ebionitas, Arrios, Nestorios, cum alijs id genus portentis Hæreticorum: sciunt inquam hæc omnia, sciunt; et tamen scire nolunt: vident certè vident, videre (si vellent) possent; et tamen videntes non intelligunt. Mitiore poena dignus est ille; qui primus patravit scelus aliquod inauditum: qui verò idem flagitium, pro quo multi sempiterna perferrunt tormenta, committit; nœ ille mihi, apud æquissimum Iudicem Christum, in tremendo et formidabili eius Iudicio, severissimum vultum Iudicantis aspiciet. Auget etiā poenas istorum nouiorum

Euangel

## ORATIO.

Euangelicorum, infinitus (quas sibi fin= II Causa  
 geret non cessant) opinionum Fidei nu= grauioris  
 merus. eò quòd isti, non in vno aliquo damnationis  
 dogmate, Catholicis aduersantur; sed nostri seculi  
 consultò ac de industria quodammodo, Hæretico-  
 vt in omnibus rebus aduersentur, in nul= rum, quam  
 láq; re conueniant, vnum hoc querunt; superiorum  
 vt, si quando Satanás suo nomini res= statum.  
 spondebat, et strenuum se aduersarium  
 Christi Ecclesiæ prebebat; hoc nostro  
 potissimum tempore, quo plùs quam  
 vñquam antea solutus est, in diésq; mas-  
 gis ac magis soluitur, verè est Satanás:  
 hoc est, nunc Satanás verè est Aduersa-  
 rijs Christianorum. Omnia veterum  
 Hæreticorum maximè pestiferum fuisse  
 legimus Arrium; eaq; secta maximè, to= Arrius.  
 tum orbem Christianum conuulserat:  
 is tamen non multarum opinionum au-  
 thor fuit; sed Christum tantummodo  
 Iesum, Deo Patri esse óμοούσιον nega-  
B bat.

S Y N O D I C A

bat. Idem quoq; sentiendum est de Ma-  
cedonio, Nestorio, Eutycche, Iconocla-  
stis, Oecumenicarum Synodorum ius-  
**Macedonius** ta sententia Satanæ traditis: aiebat ille;  
Spiritum sanctum esse creaturam, non  
**Nestorius**, Deum: alius duas Personas, in Christo;  
**Eutycches.** alius vnam Naturam tantum, fingebat:  
**Iconoclaste.** nonnulli deniq;, qui hostes facti fuerant  
Imaginibus, in eis ejciendis erant occu-  
pati. Pauca igitur illi noua fingeabant;  
**Hæreses no-** nostri longè plura. Quid enim isti con-  
**stri seculi** fingere et cōminisci non audent; quam  
**uariae sunt.** Hæresim ab Inferis non excitant; in  
quot opiniones, vnam fidem non dis-  
trahunt; certè si vera essent istorum  
,, variabilia et mutabilia noua statuta;  
,, quod tamen in his rebus, quæ semper  
,, mutantur, et sibi constare non possunt,  
fieri nullo modo potest: sed tamen si  
vera isti (quod sibi temere arrogant)  
scriberent ac docerent: non Ecclesiam  
solum;

## ORATIO.

Solum; sed Euangelium etiam ipsum,  
ταλινοδεῖν (quod veteri Proverbio  
dicitur) oportet. Orabatur semper in  
Ecclesia, (quod iam isti non faciunt) pro  
mortuis in Christo fratribus: Aposto-  
licam hanc esse in Ecclesia traditionem,  
etiam discipulus Apostoli Pauli Dio-  
nysius testari potest. quod autem in o-  
rationibus defunctorum, ab Ecclesia te-  
netur; Scripturæ sanctæ minime aduers-  
fatur: secundum quam et peccata remis-  
tuntur, in hoc futurōq; seculo; et sancta  
salubrisq; est cogitatio, pro Defunctis  
exorare. Offerebatur omnibus seculis  
in Ecclesia, aris ac templis incolubus  
saluisqué, Corporis et Sanguinis Chris-  
ti Sacrificium sacrosanctum: Aposto-  
los id ipsum factitasse, quosdam verō a-  
pud altaria coesos esse, graues Historici  
scribunt. quod utiq; propter illam Scri-  
pturam sit; Tu es Sacerdos in æter-

Palinodia  
Euangelij &  
secundum  
Euangelicos

Dio. in Ec-  
cle. Hierar.  
Cap. 7.

Matth. 12.  
2. Mach. 12.

Abdias, in  
uita S. Mat-  
thei Apo-  
stoli, &c.

B ij num,



## SYNODICA

psal. 109. num, secundum ordinem Melchisedek,  
 Ieiunabatur frequenter ab Apostolis,  
 virisque Apostolicis, in pane tantum et  
 aqua: ordinaverunt illi, et nobis seruan-  
 dos in Ecclesia deposuerunt, certos dies  
 Ieiuniorum: Quadragesimam, quartam  
 post. ss. &c et sextam Ferias: Verbum Dei non so-  
 lum Ieiunia: sed delectum etiam ciboz  
 rum, in Ioanne Baptista, vino et carni-  
 bus abstinentie, commendat: et tamen  
 nouis Euangelicis, à veteri Euangeliō  
 multum discepantibus, propter Deum  
 ventrem, Catholica Ieiunia sunt ludus  
 et iocus. Quid multa: siue quæ Fidei  
 sunt speckes: siue Spem consideres: siue  
 Charitatem aduertas: aliter nunc ab istis  
 omnia docentur: atq; tradita sunt ab  
 Apostolis, ab Ecclesia custodita, et sa-  
 crarum testimonij Literarum com-  
 probata. Quapropter si non desunt  
 istis Euāgelicis exempla Hæreticorum,  
Complexio.  
damna-

Canon A-

post. ss. &amp;c

Mat. 3.

Mar. 1.

Luc. 1.

## ORATIO.

damnatorum ab Ecclesia ; cuius senten-  
 tiae se subscriptorum , Dominus certô  
 pollicetur : et si in omnibus ferè Catho-  
 licis dogmatibus, pergunt esse obstinati  
 Ecclesiæ aduersarij et hostes : meritô  
 hæc ipsa mater Ecclesia , filiorum utiq;  
 suorum, ex qua illi prodierunt, mortem  
 omnium longè crudelissimam deflet ;  
 eamqué , donec per tempus licet , apud  
 sponsum suum Iesum , supplex depreca-  
 tur ; quum ait : Domine, descende prius,  
 quam moriatur filius meus. Expendit  
 enim ipsa , diligenterque expendit : quam  
 multæ Christianorum animæ , septem et  
 XL annis , Hæresibus varijs latè per  
 orbem terrarum dispersis , perierint ; ac  
 in ignes cruciatuſq; Tartareos , perpe-  
 tuō illic torquendæ , ad hunc diem usq;  
 præcipitentur. quod utinam non vitio  
 nostro , qui Catholici sumus ; neq; culpa  
 et negligentia eorum , qui præsunt Ec-

B ij clesij,

Mat. 18.

II. Genus  
Mortis.

## SYNODICA.

clesijs, cotingat. Negari namque non pos-  
test: maiorem partem Catholicorum  
ita nunc comparatam esse: ut ore qui-  
dem profiteantur, se nosse Deum: fa-  
ctis autem pernegerit. plures etiam apud  
Ecclesias, suae fidei creditas, quae sua sunt  
quærunt: pauci, quae sunt Iesu Christi.  
Quod si vlla fuit unquam ætas: quæ  
Sacerdotum vitæ improbitate, ab Ec-  
clesiæ corpore se præcideret: nostra  
(heu) infelix ætas, talis profecto esse  
videtur. Quo magis cauendum est no-  
bis, Fratres charissimi: ne cuipiā homi-  
num nōs, quos ad ædificationem Chri-  
stus in Ecclesia posuit, scandalo simus.  
Nam quisquis occasionem ruinæ homi-  
ni dedit: hominem occidit: propter  
quem aliquis perit ac moritur: ex eius  
ipsius manibus, sanguis mortui require-  
tur. Non leuem et paruam rem esse pu-  
tate: mala vita et negligentia nostra,  
aliquem

## ORATIO.

aliquem Christianum facere Hæretis  
cum: qui offenderit aliquem Fidelium,  
et credenti in Christum causa interitus  
fuerit: huic expediret, cum molle asina=  
ria, ipsius collo alligata, in profundum  
maris demergi. Atq; hæc quidem altera  
est Mors illazquæ ex Peccato dignitur.  
cuius quidem Peccati tres sunt præcipui  
fontes: ut Ioannes Apostolus recte, in sua i. Ioan. 2.  
docet Epistola. Etenim Omne quod  
est in mundo: Concupiscentia Carnis  
est, et Concupiscentia Oculorum, et Su-  
perbia vitæ. quæ tria cum aliâs: tûm in  
Diuite epulone, et qui se ab ingressu LUC. 16. 14.  
Cœnæ magnæ excusant, deprehenduntur.  
Quum enim audis, Hominem quen-  
dam nominari Diuitem: aut propter  
iuga Boum quinq;, Cœnam magnam  
negligi: Concupiscentiam Oculorum Ephes.5.  
agnoscis: id est, Avaritiam, miseram  
idolorum servitatem. Deinde ubi in-

Matth. 18.

peccati III  
fontes.

B iiiij duitur

## SYNODICA

duitur dimes Purpura et bysso : aut ad  
Villam emptam, quæ videatur, exitur:  
Superbiam vitæ, quæ radix et caput  
peccati est, et in qua cadunt qui operan-  
tur iniquitatem, notari vides. Deniq;  
Epulari splendide, an non genio est ins-  
dulgere et carnis non ad Concupisces-  
tiæ Carnis, quæ vocatur Luxuria et  
Voluptas, Epulæ diuitiis illius splendis-  
dæ referuntur: quod vitium ne quis pu-  
tet leuius esse primis duobus: quid apud  
Cœnam magnam contemptam dicatur,  
audiat. Sic enim ibi dicitur: Vxorem  
duxì: et ideo non possum venire. Qui  
Iugaboum emit, Villam videt: excusa-  
tum se haberi petit: qui verò duxit V-  
xorem, et toto se maculauit maculofo,  
in carnisqué turpes delicias se immersit:  
non potest is ad illud coeleste Prandiu,  
splendidè et opiparè apparatum, vlo-  
peruenire modo. Cur hoc ita fiat:

rogas;

August. in  
Psal. 35.

## ORATIO.

rogas? quia Omne peccatum , quod s i Cor. 6.  
 cum fecerit homo , extra corpus est ;  
 qui autem fornicatur , in corpus suum  
 peccat : ut grauissime scribit ad Corin-  
 thios Apostolus Paulus . Corpora no-  
 stra sunt membra Christi , ac templum  
 Spiritus sancti : tollens ergo membra  
 Christi , faciam membra meretricis : ab-  
 sit ; inquit Apostolus . Cauendum itaq;  
 est nobis , saepaq; et iterum c auendum , Complexio  
peccatorum  
trium.  
 Sacerdotes ; ne sanctam vocationem  
 nostram , aut Superbia vitæ , aut Cons-  
 cupiscentia Oculorum , polluat : sed non  
 minus etiam hoc c auendum ; ne ab hac  
 animi et corporis Castitate , quam Or-  
 do noster requirit necessariò , in omni  
 vita nostra vel transuersum vnguem di-  
 scedamus . Miserum namq; illum , ter-  
 que quaterque miserum ; quisquis talis  
 est : qui propter illecebras carnis turpes  
 et breves , sacras et sempiternas amictic

B v voluptas

## **SYNODICA**

voluptates. ô deplorandum, sed nullis  
lacrymis liberandum, illum homuncio-  
nem: qui cum istis delich̄s suis, de cœlo  
deh̄citur; et in Tartara ignea ac tene-  
brosa præcipitatur. Vnum vnum, Fra-

LUC. 10.

Psal. 26.

broſa præcipitatur. Vnum vnum, Fra-  
tres, eſt neceſſarium: hoc inquam vnum  
ſemper eſt à Domino petendum: hoc  
inquirendum: Ut inhabitemus in do-  
mo Domini, omniibus diebus viæ no-  
ſtræ: ut videamus voluptatem Domini,  
et viſitemus templum eius. Quas tu cre-  
diſt eſſe lætitias, quoſ gaudia, in vna Do-  
mini voluptate: quid, et quām ma-  
gnum, ſuſpicariſt hoc eſſe: Viſitare Tem-  
plum Dei: Permittat in nos quiduiſ  
potiūs Dominus Deus noster: quām ut  
a torrente illo voluptatis eius exeluda-

Psalms 35

potius Dominus Deus noster: quam ut  
a torrente illo voluptatis eius exeluda-  
mur: aut ab libertate domus Dei, quæ  
mirabiliter inebriat, excidamus: faciat

**Luc. 16.** h̄ic ille nos citiūs Lazaros , mendicos et  
**Matth. 25.** vlcerosos : quam à ianua Regni cælestis,

## ORATIO

stis, non agnitos à se, nos repellat. Si <sup>A uita etere</sup>  
 scires, ô homo : quanta sit infelicitas, <sup>na excludi,</sup>  
 vitam perdere sempiternam : in qua, <sup>Summa est</sup>  
 quod oculus non vidit, auris non audiz  
<sup>infelicitas.</sup>  
 uit, nec in cor hominis ascendit, Deus se  
 diligentibus præparauit : hoc inquam  
 vnum quanta sit miseria, si tu scires : (scis  
 res autem : si crederes Scripturæ, eiūsq;  
 pījs Interpretibus ) hoc ergo si scires :  
 longè grauius tormentum et supplicium  
 esse, carere illa felicitate : quam æternis  
 Gehennæ cruciari flammis, facile tibi  
 persuaderes. qua de re ita et verè et graz  
 uiter scribit, in Matthæum, Chrysostomus : Noui, inquit : plurimos Ge  
 hennam tantum perirecere : ego tan  
 men, illius gloriæ amissionem multò a  
 marius, quam Gehennæ, dico esse supa  
 plicum. si verō non possum id sermone  
 monstrare: nihil omnino mirandum est.  
 Neg̃ enim nouimus illorum beatitudia  
<sup>nem</sup>

Homil. 24.  
 in hac uerba : igitur  
 ex fructib.  
 eorum cogit  
 nosc. eos.

## SYNODICA

nem præmiorum: ut infelicitatem, quæ  
évenit eorum amissione, scire possimus.  
,, Nam et Paulus , qui ista cognita habet  
,, bat , certissimè nouit; quod excidere à  
Dei gratia , omnium sit gravissimum.  
nos autem hoc tunc discemus ; quum ex-  
perimento cœperimus doceri. Sed istud  
ne patiamur; faxis, ô vnigenite Fili Dei:  
neq; experiamur vñquam inæstimabile  
istud horrendumquē supplicium. Quām  
enim malum sit, illorum honorum por-  
tione priuari ; aperte quidem exprimi  
non potest: tamen ( prout mihi possis-  
bile fuerit ) conabor atq; contendam,  
exemplis illud vobis facere vel parua ex  
parte manifestum. Fingamus igitur,  
adolescentem aliquem esse mirabilem ;  
eundemque et cunctis florere virtutis  
bus , et totius tenere orbis imperium:  
tamquē esse virtute conspicuum per om-  
nia ; vt vniuersos erga se homines , pa-  
trio

ORATIO.

trio ardere faciat affectu quid ergo pa-  
trem istius, non libenti animo patiturum  
existimatis; ne talis filij priuetur con-  
uersationes quod verò vel paruum, vel  
grande malum, non esse subitum;  
modò ut illum videat etiam, atq; illius  
præsentia perfruatur; Hoc igitur de  
futura quôq; gloria cogitemus. Neq;  
enim sic filius patri, etiam si virtutibus  
mille decoretur, desiderabilis est atq;  
mirabilis; ut cœlestium fructus bono-  
rum, ac resoluti, et esse cum Christo. In-  
 tollerabilem quidem rem esse et Gehena-  
nam, quis nesciat; et supplicium illud  
horribile; tamen si mille aliquis ponat  
Gehennas: nihil tale dicturus est; quale  
est, à beatæ illius gloriæ honore repellit,  
exosumquē esse Christo, et audire ab  
illo: Non noui vos. Est enim satius,  
mille fulmina sustinere; quam vultum  
illum, mansuetudinis pietatisqué ple-  
num,

S Y N O D I C A

num, nos tamen auersantem, videre;  
et illos placidissimos oculos, ne quaque  
sustinentes aspicere nos. Hæc ibi Chrysostomus, & grauiissimè et verissimè.  
Hic iam mihi dicendum et commemo-  
randum esset, Fratres charissimi: quo  
pacto hodie maior pars Mundi, pro-  
pter superbiam vitæ, et Concupiscenti-  
am Carnis Oculorumque, turpiter sit  
immundus; et quam male nō pauci, quos  
in Clerum et Sortē suam Dominus co-  
optauit, propter eadem crimina, toto in  
Mundo audiant: sed perpendat modò  
quisque nostrum, fine carituras impiorum  
pœnas, et amittendam Angelorum dul-  
cissimam societatem æternam; et eaque  
duo examinet quam diligentissimè: his  
certè duobus expensis et ponderatis,  
si Mundo et Carni nihilo minus ser-  
uire mallet, quam Deo; et nihil hoc ho-  
mine stultius, nihil erit stolidius. Tis-  
mene

Complexio  
Amplifica-  
tionis.

## ORATIO.

mere Deum, et initium Sapientiae et Spz „  
 pientia summa est ; negligere præcepta „  
 Dei, peccatisque propterea inuolui, ex= CONCLV.  
 tremat est dementia. Quæ quum ita se sio.  
 habeant; non sine causa, tam frequentes  
 et attentas preces, ad Dominum Iesum  
 fundit Ecclesia: ut prius, quam moris  
 antur filij eius, (quos, tanquam vnicum  
 haberet, vnicè diligit) ipse ad eam velit  
 descendere. Incommoda perpetua per-  
 petui à Regno Dei exilij, et intolerabili-  
 lia apud Inferos tormenta, optimè ipsa  
 propterea nouit; quia credit. Creda-  
 mus igitur et nos, Fratres charissimi;  
 neq; impiam illam impij hominis vozem, Non requiri et peccata Deus, in noz psal. 9.  
 stris cordibus dicamus. Adducet Deus Eccl. 12.  
 in iudicium cuncta quæ fiunt, pro omni  
 errato; siue bonum, siue malum sit: red=  
 det vnicuiq; nostrum secundum opera: Rom. 2. etc.  
 referet unusquisq; propria corporis,  
 prout

S Y N O D I C A

prout gessit ; siue bonum, siue malum.

Hæc autem cura atq; solicitudo , pro  
morientibus Ecclesiæ filijs, ad te potissis-  
mum spectat, Reuerendiss. Præful : qui

Synedorum

Dioec. Cas-

se II.

non aliam utiq; ob causam , Synodum  
hanc Dioecesanam tuorum Sacerdotum  
conuocasti ; nisi quod cupias omnes , et  
qui à recto Fidei tramite aberrauerunt,  
et qui voluntur in sordibus peccato-  
rum, à sempiterna morte reuocare pro-  
pter hæc inquam duo , propter Fidem  
et Mores , Synodus hæc est à te cons-  
gregata. Nam quicquid est constitutus  
tum , per organum sancti Spiritus Ca-  
tholicam Ecclesiam, in Oecumenica Sy-  
CONCILIUM TRI-  
PENT. his duobus malis, si in Synodo Prouin-  
ciali proxima, occurretur à uobis, quos  
Deus in Ecclesia sua posuit Episcopis;  
occurretur autem Vita bona , et Do-  
ctrina sana : satisfactum erit votis Cō-  
cilij

## ORATIO.

cilij Generalis Tridētini. Etenim post= Concilium  
quam tota res diligentius examinabis Trident. est  
tur; ad sanandos pereuntes ante quam descensus  
moriantur Ecclesiae filios, Christum ad Christi ad  
nos per Concilium Tridētinum descendere, scietur. eō quod vox Oecumenici Ecclesiastam.  
Concilij, vox est Christi; vox est Spiritus sancti: cuius Decretis quisquis repugnare ausus fuerit; contra ipsum Spiritum sanctum sine dubio repugnat. Qui nang; non audierit Ecclesiam; (quam à Generalibus Concilijs representari, nemo dubitat Catholicorum) ipsum Dominum Iesum, ad consummationem seculi cum Ecclesia manentem, Spiritum sanctum, Ecclesiae perpetuum gubernatorem atq; doctorem, non audit: ideoq; merito est, sicut ethnicus et publicanus, ab omnibus reputandus. Quis (obsecro te) tu es, ô homo; qui resistere audeas Christo, eiusq; et Patris Spiritui

C sancto;

Matth. ult.  
Ioan 14.

Math. 18.

## SYNODICA

sancto: Resistat (quando melius sapere non vult) superbus Hæreticus: à Catholicis Ecclesiæ filijs , procul ista absit cogitatio. Nam quicunq; ingratus esse voluerit huius Dominici ad Ecclesiam descensus , in persona Concilij Tridentinoris profecto similis esse videbitur Israeli, populo electo , sed parum grato : qui Messiam ad se quamprimum venire optabat: venientem verò neq; agnouit, neq; recepit. non recipit autem: quia nō talis ad eos, qualem illi habere volebant vénit: volebant divitem atq; potentem Regem: vénit ille humilis et pauper. Eodem etiam modo non recipit ingratus Hæreticus , ad quod nuper prouocabat , Oecumenicum Concilium: quia non talia, qualia cupiebat, eius Decreta videt: Catholici ne incident quoq; in istam impiam gratitudinem: omnibus, à quibus ter in Petro requisitum amo-

rem

## ORATIO

rem requirit Christus, studiosē et accusatē prouidendum est. Quòd si quis spiam, in Concilium Tridentinum propter ea (quod absit) sit iniquior; quòd carnalibus et mundanis eius cupiditatibus, alicubi aduersetur: eius talis est ista indignatio; qualis illius viatoris, quem à periculo cursu ingratis reuocas, es set. Velit forsitan ille viator rectâ tenuere in Italiam, Germaniamque: incidit interea in viam, à piratis et prædonibus obsecram: reuocatur à te ab exitio, in tumultu iter atq; securum; sed contemnit, tui ingratus beneficij. is itaq; viator, an non gratias potius agere debeat, à periculo se reuocant; quam stomachetur: cur nō præstat referre, bonam pro bona; quam malam pro bona, gratiam? Quid autem prodest homini, si vniuersum Mundum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur; Decretos

preoccupatio I.

C h r u m et

Matth. 16:

## SYNODICA

scopus Deorum et Canonum Concilij Tridentini  
cretorum scopus est & quem David Propheta, in  
Concilijs. Psalmo 33 prescripsit. Venite filii & au-  
dite me, inquit: Timorem Domini do-  
cebo vos. Nam hic Timor Dei compas-  
rat nobis vitam æternam; et in vita de-  
mum æterna, dies videntur vere boni.  
Quis autem est homo & qui vult vitam &  
qui diligit dies videre bonos & nolitne  
quispiam nostrum vitam possidere cœ-  
lestem & non æternos dies, absq; ullis  
noctibus et periculis, immensa claritate  
et securitate plenos, videre quisquā ve-  
lit & Quod si tanta sunt præmia Timo-  
ris Dei: cur non timebimus Deum & si  
Timorem Domini docet Concilium  
Tridentinum & cur non amplectamur  
illud, ad eiusq; curramus osculas; cur non  
redamabimus Cōcilium Tridentinum,  
viam in cœlum monstrans benignè atq;  
peramanter & cur non vitam prius pro-  
fundere;

ORATIO.

funderet quām temere aliquid de Cons  
cilij Decretis mutare, parati sumus: Ne  
gligit Hæreticus totumz aliqui nostra  
tum forsitan partem suscipiant: cur non  
totum potius recipis z quod totum ille  
reñcit: Quicquid enim ille reñcit, ab " "  
Ecclesia Catholica approbatum z bo= "  
num id est: non potest nobis malum es= "  
se z quod nos ad vitam perducet æter= "  
nam, et à morte pòst misera (quod uti= "  
nam fiat) liberabit. Atq; híc iam secum  
quisq; diligenter consideret z quantum  
dederit nobis beneficium Deus, Conci= "  
lio Generali Tridentino feliciter termi= "  
nato. Quod enim ante annos nouēdes  
cim, trium annorum intervallo, nō po= "  
tuerat perfici: et post annos iterum qua  
tuor, biennium durans, finem quoq; su= "  
um non est consecutum: hoc, superiore  
anno, duobus annis rebus grauissimis  
grauissimè tractatis, in magna pace,

Magnum  
Dei donum  
est, Concilia  
terminari.

C iij concordia

## S Y N O D I C A

concordia, et tranquillitate, Deo nobis propitio, nos ipsi videmus legitimè consecutum et consumatum. Videte, obsecro, videte Fratres; quām difficile et operosum sit, in hac præsertim Religionis turbatione, Oecumenicas Synodos conuocare; difficilius, absoluere: propter quam utiq; causam, Concilium Tridentinum prospere absolutum, esse debet apud nos Dei gratia singularis. Taceo numerum et dignitatem, summum cum autoritate coniunctam, quæ Concilio adfuerunt, personarum: et numero certè, et doctrina, et pietate, Pontificis Maximi, Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, et aliorum quām plurimorum doctissimorum atq; clarissimorum virorum, (qd, propter beneficia Dei prædicanda, dissum esto) Concilium Tridentinum cum vetustissimis Generalibus Synodis

sanc*tē*

Personas  
Conciliij,

## ORATIO.

sanc*t* certare posset. Sit ergo sacros  
sanctum apud nos (vt esse dedet) Cons  
ulij Tridentini nomen: omnes illud ea,  
qua decet, reverentia suscipiamus, vene  
remur, obediamus. Si verò aliquis ho  
minum, salutis suæ prorsus immemor,  
audiat totius corporis (membra quum  
ipse sit Ecclesiæ minimum) mentem re  
probare: quid putas, in severo Christi  
Iudicio, cuius nunc ad se descensum non  
recipit salutarem, ex ore Iudicis Christi  
is audiet: quid nam putatis? Auertat à  
nobis Dominus horrificam illam horri  
bilis tunc Iudicis vocem: audiamus tan  
tummodo nunc eius, quam vult audiri,  
Ecclesiam: benignam quoqu ipsius vo  
cem, in dextera parte locati, audiemus.  
Moriendum est nobis, Fratres charissi  
mi, moriendūmque breui: vita hominis Jacob. 49  
breuis est, et vapor umbrāque super ter  
ram: in imagine profecto pertransit Psal. 38.

C iiii homo:

## SYNODICA

Heb. 9.

Matth. 24.  
25. Ec.

homo: moriendum autem est incerto morta hora. Statutum quidem est hominibus, semel mori: sed horam illam, qua noster Dominus est venturus, nemmo homo scit: à morte verò standum est in Iudicio, aut (quod utinam nos consequamur) inter oves; aut (quod prohibeat Deus) inter hædos.

PERORATIONE.

TIO.

Deus trans-  
ferre solet  
Gratiam.

Quare incumbamus omnes (per Deum vos oro, Fratres charissimi) in eam curam: ut descensum ad nos Christi, non solis verbis; sed corde simul et spiritu, flagitemus. nisi nos descensuro intentes et puras, in cordibus nostris, parauerimus mansiones: nos quidem, ingratus populus facti, in peccatis nostris et iniquitatibus moriemur: ipse verò ad gentem aliam gratiorem, gratiam suam à nobis ne transferat; valde timendum est. Expulit magna pars ingratæ Germaniae,

## ORATIO.

maniae, Luteranismū amplexa, descendens  
dente ad se Iesum: suscepit illum grata  
singulari nunc amore Dei feruens, Se-  
disq; Apostolicæ plurimūm reuerens,  
India; insingulæ ignotæ, et orbis ter-  
rarum antea incognitus, augustissimum  
illud Lumen, Dei Filium, lubēs cognos-  
vit. Timendum itaq; est ingrato po-  
pulo: ne ablatum à se Regnum Dei, alij Matth. 21.  
detur genti, fructus bonos faciēti. Cer- plagiæ Dei.  
nitis iam, Fratres charissimi: magnis  
quidem, sed adhuc benignis flagellis  
Dei, ad Dominum gratis animis excis-  
piendum, nos prouocari: immisit iam in-  
nos Deus duo pessima. (vt Ezechiel ait) Ezech. 14.  
Iudicia; Gladium, et Pestem: alia duo  
generis eiusdem, Bestias malas et Faz-  
mem, (nisi resipuerimus) se immissurum  
minatur. quanquam nescio, quæ immas-  
niores esse queant Bestiae; quām à quis-  
bus, iam annos fere 50, omnes mordet-

C v mur,

S Y N O D I C A

**Luc. 13.** mur, multi misere dilaniantur. Nisi ergo conuersi fueritis: omnes simul (ait Christus) peribitis, nisi conuersi fueritis: gladium suum teste Propheta, Dominus vibravit; arcum suum tetendit, et paravit illum: et in eo paravit vas mortis, finem nullum habituræ nunquam.

*Confessio et  
agnitio pec-  
cati.*

**Psalm. 7.** Est quidem ea prava hominum consuetudo: quod plagas et iram Dei, peccatis aliorum libentius quam suis, attribuere malunt: sed Deus nullo modo (credite Apostolo) irridetur. Novit ille corda hominum, renesque scrutatur: videt cuncta manuum hominis facta. etiam si nos hoc scire nolimus: ipse tamen certò scit: et Bestias malas Hæreticos, et Bellum cum Peste, propter nequiciam hominum, se in nos immittere. Dum nos peccata nostra tacemus: neq; aduersum nos iniquitates nostras confitemur: inueterascunt ossa virtutum nostrarum;

**Psalm. 31.**

## ORATIO.

Errant; putrescent et corruptuntur  
cicatrices conscientiae nostrae. Dicamus  
solum ex animo, cum Davide: Confites-  
bitur aduersum nos iniusticias nostras  
tibi; Domine: dicamus et illud syncea-  
re, cum filio prodigo; Peccauimus in Luc. 15.  
caelum et coram te, Pater: remittet ini-  
quitatem peccati nostri Deus: accurrens  
ad nos, stola prima nobis reddita, oscu-  
labitur nos Pater: descendet simul et va-  
nus ille Medicus generis humani Do-  
minus Iesus; ut priusquam moriamur,  
ab illo ipso, qui percutit et sanat, corz Deut. 32.  
poribus animisq; sanemur. Utinam vez-  
ro te Episcopo, Reuerendiss. Praeful,  
illud nobis videre contingat; cuius gra-  
tia nunc Synodi congregantur, et quod  
inter alia præcipitur à Concilio Tri-  
dentino: utinam videamus aliquando Clerici qua-  
Clericos, in sortem Domini vocatos,  
vitam morēsq; suos omnes ita compo-  
neremz les debent  
esse.

## SYNODICA

ex Concil. nere; vt habitu, gestu, incessu, sermonē,  
 Trid. sc̄ß. alijſqué omnibus rebus, nil nisi graue,  
 6. Can. i. De Reform. moderatum, ac religione plenum, præ  
 se ferant. Nihil enim est; (vt dicitur  
 ibidem) quod alios magis ad pietatem,  
 ac Dei cultum, aſſiduō instruunt: quam  
 corum vita et exemplum; qui ſe Diuino  
 ministerio dedicarunt. qui propterea  
 Matth. 5. lux ſunt Mundi; vt vita ſua plebi præ-  
 luceant: propterea et Sal terræ vocan-  
 tur; vt ſale Sapientiæ, ſanæque doctri-  
 næ, populus ab eis condiatur. Hoc ſi  
 populus Christianus, et maximè hostes  
 nostri, in nostris cernerent Catholicis  
 Sacerdotibus: Dóminum ad nos de-  
 ſcensurum, et errantes oues in vnum o-  
 uile Petri reducturum, flagellāq; ſua a-  
 ſperā à nobis auerſurum, poſſemus no-  
 bis polliceri. Descende igitur, mi Domine:  
 descende ad nos, Domine noster  
 IES V Christe: priuquam nos miseri-  
 peccato-

ORATIO.

peccatores moriamur; ad vivificandum  
nos, tu (quæsumus) descendere: ac nostra  
simul consilia, easq; nostras Synodos,  
ad tui sancti nominis gloriam, Ec-  
clesiae tuæ ædificationem, no-  
stramq; deinceps salutem, bea-  
nignus conuerte;  
Amen.


\*

ECCLÆSIAE AD CHRL.  
stum Precatio.

Tu descendere prius, clemens & dulcis IHS V,  
Morte mala prauus quam moriatur homo.



NISSAE EXCVDE,  
bat Iohannes Cruciger,  
Anno Salutis nostræ;  
M. D. LXIIII.



CHARLES COOPER



SI

et summa mera et  
summa in auctoritate  
B. p. beatus summa  
meritorum ejus. hanc  
summa. que operando  
et inveniendo; hanc operando  
in p. d. dono. tunc  
in exercitio. in p. amara  
menti. rationis operando;  
in p. dono sag. hanc  
mentis. summa operando;  
et hanc operando in p. summa  
summa operando mentis in  
p. hanc operando summa in  
mentis. inveniendo operando  
summa operando mentis in  
hanc operando summa in